Q. D. B. V.

THESES JURIDICÆ

JURIS PUBLICI UNIVERSALIS ET PARTICULARIS,

Quas

Conſentiente Magnifico JCtorum Ordine

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobiliſſimi, Excellentiſſimi atq́ Conſultiſſimi

DN. CHRISTIANI SETHEN,

J. U. D. & P. P. Primarii,

Ampliſſimæ Facultatis Juridicæ DECANI Spectabilis.

Dn. Præceptoris, Hoſpitis atq́ve Fautoris ſingulariter Devenerandi.

Publicè defendet

JOANNES ERNESTUS von der Linden/ N.B.

Auctor.

Ad diem Novembris A. MDCLXXV.

hor. locoq́ve ſolitis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

REGIOMONTI, Typis FRIDERICI REUSNERI.

ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
ERNESTO BOGUSLAO
Croji & Areſcotti
DUCI
Sacri Romani Imperii
PRINCIPI,
Marchioni Hauræi
COMITI
In Fontenoy Bayon & Dompmartin
Neogardiæ & Maſſoviæ
&c. &c. &c.
Sereniſſimi Electoris Brandenburgici
per Pruſſiam Ducalem & Pomeraniam
Citeriorem Vicario,
Domino meo Clementiſſimo.

EXiguas has dum exhibeo Theſes, devota mea in ſimul ſervitia offero, Parva etenim Magnis placere ſolent nec æſtimat Illuſtris Principum animus oblati muneris pretium, ſed intentionem offerentis. Hac veniam nunc precabitur, quod, eâ tamen quâ decet reverentiâ ſummiſſiq; cultus ſinceritate, hoc quod vides chartaceum munus Tuos ante Vultus deponere audeam. Suſcipies illud Illuſtriſſime Princeps tanquam devotiſſima pietatis non liberatoriam ſed confeſſoriam teſſeram fronte clementi, manu Benigniſſimâ: Neq; enim innatus Tibi, quod paucis contigit, Muſarum amor facilè aliud permittet, neq; exhibita olim meis inſignia Principalis Gratiæ documenta ſperare me præter hoc quicquam ſinent. Ego autem ſi hoc impetraverim, felicitatis meæ Videbor mihi attigiſſe culmen, & hoc unum in votis erit, ut duratura mea dignè impoſterum conteſtari, ut volo, ſic poſſim obſequia. Utrumq; Tuum eſt atq; erit Beneficium, me & velle & poſſe; ſiquidem totus ſum

Illuſtriſſimæ Celſitudinis Tuæ

Devotiſſimus
cliens
JOANNES ERNESTUS von der Linde/
Nobil. Boruſſ.

B. C. D.

Ex Jure Publico Univerſali

Theſ. I.

JUs Naturale eſt dictatum rectæ rationis indicans actui alicui ex ejus convententia aut diſconvenientia cum Natura rationali ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem moralem, & conſequenter ab auctore DEO talem actum aut præcipi aut vetari. Objectum hujus Juris ſunt actus Morales in ſe & ſuâ Naturâ boni aut mali. Neqve enim Res morales bonæ ſunt, quia DEUS illas voluit; ſed ideò illas DEUS voluit, quia bonæ ſunt. Fundamentum autem hujus Convenientiæ aut Diſconvenientiæ cum Natura Rationali Sanctitas Divina eſt. Ex illa namqve ceu Lydio quodam lapide omnem probari moralitatem quæ in homines cadere poteſt, nobis firmiter perſuaſum eſt.

Th. II. Hoc Jus Naturæ tanquam Univerſale quidpiam aut generale Jus Gentium ceu particulare ſub ſe comprehendit. Cum enim Jus Naturæ conſiſtat in dictamine Rectæ Rationis, mirum non eſt, ſi reſpectu objectorum Rectæ rationis in varietatem aliquam diffundatur: atqve adeò dum iſthinc actiones ſingulorum ſibi conformes exigit, ſicqve Juris Naturæ in ſpecie nomen retinet, hinc actiones eorundem prout in Societate vivunt eòdem modò ſibi accommodari cupiat, eoqve ratiocinia ſua primò Societati applicari deindè ad ſe transferri dictitet. Hòc modò fit Jus Gentium per conſequentiam demùm ad Jus Naturæ trahendum: Iſtô Jus Naturæ in ſpecie ita dictum permanet.

Th. III. Eſt igitur Jus Gentium Regula quædam actuum publicorum vincula Rerumpublicarum concernentium dirigens populorum ad invicem operationes in communem Juſtitiam & omnium tranquillitatē. Objectum hujus Juris ſunt actus publici congruentes cum vita Sociali, ſive vincula Rerumpubl. concernentes, ut exindè tutò concludi poſſit id quod vincula Rerumpublicarum

non lœdit, nec contra Jus Gentium factum eſſe. Et in hoc Objecto fundamentum Obligationis Juris Gentium conſiſtit, quippe cum Jus Gentium itidem inferat neceſſitatem, non quia homines voluerint, ſed ex Natura Rei, ſeu quoniam id congruat cum vita Sociali: i. e. quod omnes gentes teneantur convenienter huic Regulæ agere, non quod ſibi ipſis hanc legem dixerint, ſed quoniam aliter agere planè nequeunt, niſi velint turbatores publicæ quietis & invaſores alieni Juris audire.

Th. IV. Utrumqve hoc Jus Naturale & Gentium Immutabile eſt. Illud quidem ſimpliciter propter ſuam Originem, quippe cum Sanctitas & Juſtitia Divina, cujus hoc Jus particula quædam eſt, omnem mutationem reſpuat. Hoc ratione Rerumpubl., ut quamdiu hæ durant, tamdiu idem quoqve maneat Jus Gentium.

Th. V. Quanquam Jus Naturæ ſine ullo dubio omnes homines obliget, ſi tamen aliqua Lex Naturæ per Imperium Civilem vim Juris Civilis non acceperit, obligat quidem illa homines, ſed ita, ut ob eam violatam neqve in Civitate actio intendatur, nec pœna ibidem infligatur, ſed ſoli foro Divino & conſcientiæ iſtius violatæ perſecutio relinquatur. Quia verò pleraqve Juris Naturæ ita comparata ſunt, ut ſine illis Pax in ipſa Societate ſtare non poteſt, hinc ea Juris Naturæ præcepta, quæ hôc modô ſe habent, vim etiam Juris Civilis acceperunt.

Th. VI. Quod ad Pœnarum inflictionem attinet, ſciendum eſt, quod omnis pœnæ determinata quantitas ſit Juris poſitivi, quæ ad neceſſitates Reipublicæ attemperari debet. Finis enim pœnarum eſt Securitas Publica, ut univerſis & ſingulis caveatur de damnis accipiendis. Ex quo deinde alter fluit Terror ſingulorum, quô voluntates eorum ad obedientiam confirmantur. Unde eſt, quod pœnæ aut intendantur aut remittantur, prout Reipul. aut præſentium temporum multùm aut parùm intereſt, delictum aliquod non committi.

Th. VII. Eadem ratio eſt, cur ſæpenumerò delicta, quæ in ſe leviſſima videntur, in foro humano graviſſimè puniantur, & contrà. Quia, licet in ſe parva ſint, publicum tamen enormiter lœdere judicantur, eoqve intuitu ipſius magna fiunt. Neqve etiam men-

menſura pœnarum in foro humano eſt ſola peccatorum gravitas in ſe, ſed eadem conjuncta cum reſpectu ad uſum Reipublicæ.

Th. VIII. Falſum eſt, quod multis, præcipuè antiquis Ebræis, perſuaſum legitur: homines ex Lege naturæ ad matrimonium ita teneri, ut ſi illud inire negligant, peccent contra Jus Naturæ. Non enim contrariatur Juri Natura Cœlibatus, præcipuè illorum, qui probabiliter prævident, ſeſe in Cœlibe vita, ad quam per continentiam exigendam habiles ſe deprehendunt, plus humano generi alluturos commodi, quàm Uxoratos.

Th. IX. Polygamia ſimultanea Juri Naturali & Divino Poſitivo in veteri Teſtamento non adverſatur, ſed eſt actus ſuâ Naturâ indifferens, quem tamen Jure Civili & Legibus Chriſtianiſmi rectè prohibitum esſe putamus. Similiter etiam Connubia fratrum & ſororum in primo gradu Jure Naturæ prohibita non ſunt, cùm alias & Caini, Sethi &c. connubia nunquam licita fuisſent, ſi quid mali moralis continuisſent; cùm quod moraliter malum eſt, nunquam bonum fieri poteſt. Propter graviſſimas tamen cauſas & hic connubiorum gradus, poſtquam neceſſitas ejusmodi conjunctionis hominum numerô jàm ſufficienter auctô exſpiraverat, prohibitus eſt.

Th. X. Ex illo Naturæ præcepto, quod jubet ut unusquisqve ſe cœteris commodum præſtet, etiam hoc colligitur: Quemlibet conſervationi propriæ vitæ ita ſtudere debere, ut tamen ſi viderit majus ſe commodum morte ſuâ cœteris allaturum, hanc præ illa poſſit eligere. Et hinc etiam excuſantur illi Navarchi, qui, ubi hoſtis nave potitur, ignitô fune pulveri nitrato injectô ſe juxtà ac hoſtem perdunt. Cum enim videant ſe moleſtos cœteris non commodos fore ſi hoſtem tot armatis potiri navibus permittant, adeoqve eum majoribus adverſus Rempubl. cui ſe & ſua obſtrinxerunt, viribus inſtruant: indè fit, ut Cauſa illorum favorabilis judicetur.

Th. XI. Rectè ad Cauſas bellorum injuſtas, easqve planè improbabiles à *Grotio Lib. 2. de J. b. & p. cap. 22.* refertur Avaritia ac Libido ſuperflua habendi, ambitio & dominandi cupido, ardorqve famam ex oppreſſione aliorum quærendi. Neqve etiam metus ex vicini viribus ac potentia collectus ad juſtam belli Cau-

ſam ſufficit, niſi de animo nos lædendi certitudine moraliter evidenti conſtet. E contra: non tantùm arctioris amicitiæ obligatio, ſed & communis inter homines cognatio ſufficit, ut quis defenſiones alterius contra aliorum injurias manifeſtas ſuſcipiat: cum præſertim noſtrâ quoqve facillime intereſſe poſſit, ne aliquis impunè alios injuriâ afficiat.

Th. XII. Quemadmodum nemo bella injuſta aut temeraria debet ſuſcipere, ita & nemo Fœderatum talia bella moventem adjuvare tenetur. Quod etiam in Defenſivis bellis aliquô modô obtinet. Si enim ſocius meus videat, ſe hoſti parem non eſſe etiam adjunctis meis viribus, & tamen perſeveret in certam perniciem ruere, cùm liceat tolerabilibus conditionibus tranſigere, nulla me cauſa ad hoc adigit, ut alieno me furori adjungam comitem. Quomodo accipiendum monet *Puffendorff* quod habet *Grotius Lib. 2. de J. b. & p. cap. 25. §. 4. Non teneri ſocium ſi nulla ſpes ſit boni exitus: boni enim non mali cauſâ ſocietas contrahitur.* Aliàs enim hâc ſubintellectâ clauſulâ omnia fœdera facilè eluderentur, cùm quidem boni alicujus Cauſâ contrahatur Societas, ita tamen, ut nec mala fugienda ſint, quibus ad bonum aliquando pervenitur.

Th. XIII. Veriſſimum eſt quod à multis traditur: In omnibus fœderibus, quæ Rex aliquis cum Extraneis circa ferenda auxilia init, ſubintelligi debere hanc Exceptionem: ſi quidem per rationes proprii Regni illud commodè fieri poſſit. Quo fundamento etiam quæ vulgò dici ſolet Neutralitas innititur.

Th. XIV. Illud quoqve probatur. Jure Naturali ac Salvâ Conſcientiâ aliquem ex juſto bello acquirere ea poſſe quæ ſibi debentur, vel ex debitis, ob quorum detrectatam ſolutionem ad bellum veniendum fuit, vel exindè, quod alter nobis invitis & planè innocentibus injuſtum bellum & damnum intulit, computatis ſimul expenſis in violentam Juris Executionem aut illatæ injuriæ propulſationem factis. Unde quoqve, ſi quis opum fiducia injuriam aliis intulerit, eidem victo rectè ſuperfluas opes detrahi, ut inpoſterum ſit modeſtior, liquidum eſt.

Th. XV. Extremæ neceſſitatis tempore alteri rem ſuam vi aut clam auferre de Jure Naturæ ita eſſe licitum, ut & reſiſtentem domi-

dominum impunè occidi liceat, falſiſſimum eſt. Præterquam enim quod hæc asſertio viam ad omnem nequitiam contra rectæ rationis dictamina aperiat, cum quilibet facilè neceſſitatem prætendere poſſit, illud ſciendum gravisſimam ejusmodi neceſſitatem haud poſſe contingere. Conſideratur enim extrema neceſſitas vel quatenus ad Eſſe ſimpliciter vel benè Eſſe ſpectat. Si hoc modo non niſi extremè impius dixerit, licere alicui alterum interficere, ut ſibi benè ſit: ſi illò, tunc quia nemo ante ultimum halitum de interitu ſuo certus eſſe poteſt, & dum ſpirat ſperat, hæc Extrema neceſſitas tunc demum exiſtere dicetur, quando homo id quod eſt eſſe deſiit. Quô caſu ut alterum interficiat non metuendum eſt. Undè liquet Extremam hanc neceſſitatem Chymæram eſſe & Ens Rationis.

Ex Jure Publico Particulari.

Th. XVI. Veriſſimum eſt, neqve Germaniam neq; Longobardicum Italiæ Regnum verè partes eſſe Romani Imperii, ſed Reſpublicas ab illo diſtinctas, adeoqve nec Imperatorem, in quantum eſt Imperator, eſſe vel Germanici vel Longobardici Regni Caput, ſed quatenus Idem ſimul Rex eſt. Undè etiam Cæſarea Dignitas ſivè Imperatoria cum Regia illa nihil habuit commune, & tàm ſuperſtite adhuc quàm extinctâ jam Carolinâ Familiâ ſat multi diu Regnum Germaniæ tenuerunt, antequam Imperatores Romani audirent, quamvis inſecutis temporibus æterno fœdere juncta ſit Cæſarea Dignitas cum Germania.

Th. XVII. Poteſtatem eligendi Cæſarem olim quidem Papa Romanus unà cum aliis Civibus Romanis habuit, eandem autem jàm Ottonum tempore in liberum Germaniæ Procerum arbitrium tranſtulit. Per quem Cæſaris Romani Titulum, principio Carolo Magno collatum Pontificem Imperatori poteſtatem dediſſe in illas terras quæ extra Longobardorum Regnum erant in Italia, hactenus verò fuerant quaſi in patrimonio Pontificis, extra dubium eſt. Et hanc poteſtatem unà cum Cæſareo titulo etiam Otto Magnus accepit, qui ſuo jure, quod in Urbem Romam, Papam ipſum ac Patrimonium Eccleſiæ Romanæ acceperat, contra

Joan-

Joannem Papam uſus eſt, Idem ſucceſſoribus ſuis ad Henricum IV. usqve obſervantibus.

Th. XVIII. Poſt Henrici IV. tempora artibus Gregorii VII. Papæ omnis ferè Cæſarea Dignitas Imperatoribus adempta eſt, neqve in Papam, neqve in Urbem Romam, neqve in illas Antiqui Imperii reliquias Cæſarum priſtina quidem iſta potentia fuit exercita, ſuperſtes tamen manſit Imperatorium Nomen, quô licet non attentô etiam in quantum Cæſar eſt Rex Germanorum primarius eſt Princeps Chriſtiani Orbis. Cum autem Jus illud perpetuum in Urbem Romam quæſitum adhuc hodiè duret. *Conring. de German. Imp. Rom. c. 18. & in opere de finib. Imp. cap. 9. & 10.* hinc non abſurdè ſibi Romani Imperii titulum Germania vindicat, cui Roma ſubeſt. *vid. Cl. Bæclerus Diſſertat. de Sacro Rom. Imp. Ao. 1663. ſcripta in voce Romanum.*

Th. XIX. Succesſionis ratio in Regno Germaniæ olim obtinuit mixta ex Electitia & Hæreditaria, inſtinctu autem Gregorii VII. Papæ Henrico IV. Imperante corrumpi cœpit introductâ majore ſolito eligendi licentiâ. Quam licet Henricus VI. denuò mutare inſtituiſſet, effectu tamen res caruit, & proindè Conſtitutio Imperatorum Electioni hactenus commisſa eſt. Neqve tamen ſexcentos jàm prope annos plena eligendi licentia obſervata, plerumqve autem propinqui ad Succeſſionem vocati, & Generis Regii ratio habita eſt. Id quod ex continuâ hactenus ſucceſſione Familiæ Auſtriacæ ſatis probatur: quô ipsô tamen Electio vera non ſublata eſt. *Strauch. Exercit. Jur. publ. Exoter. 4. Th. 24.*

Th. XX. Electio Imperatorum à prima Imperii Germanici Conſtitutione penes omnes Principes fuit & Populum, adeoqve etiam pertinuit ad Civitates, quamvis *Bellarmin. Lib. 3. de Translat. Imp.* disſentiat. Hicqve mos ad Fridericum usqve II. duravit, ut proinde falſum ſit quod inveteratâ opinione vulgò creditum, ab Ottone III. Imperatore & Gregorio V. Pontifice. Electores eſſe conſtitutos. Et quamvis jam circa ætatem Friderici II. aliqua præ cæteris eorum Principum, qui hodiè Electores audiunt in eligendo poteſtas fuerit, poſt Fridericum tamen mortuum hos ut potentiores ſibi ſolis id juris ſumpſiſſe liquet ex Hiſtoriis, usqve dum expreſſâ ſanctione illis hoc Jus cum aliis præeminentiis à Carolo IV. tributum *A. B. T. 11. ſeq.*

Th. XXI.

Th. XXI. Germanicæ duntaxat Stirpis poſſe aut debere quem eligi in Imperatorem (quod etiam vult *Lampad. de Republ. German. p. 3. c. 2. §. 23.*) Lege nullâ eſt cautum hactenùs; Multò minus ut eligendus ſit in Germania natus. Quamvis manifeſtum ſit non niſi extremâ quaſi cogente neceſſitate quenquam qui non ſit ſtirpis Germanicæ, aut qui à Germanorum moribus alienus, eligi oportere; ac proindè ad id etiam teneri Electores, quippe qui Sacramento adſtricti ſunt ad Imperii commodum. Neqve huc facit (1.) quod *Bodinus Method. Hiſtor. c. 7.* tradit: Carolum M. in Gallia natum, linguâ etiam ac moribus & inſtitutis Gallorum unà cum majoribus educatum fuiſſe, illud enim à multis jàm ſatis exploſum eſt: aut quod nonnulli ex *Thuano Lib. 38.* ab initio colligunt: Carolum V. Hiſpanum magis quàm Germanum cenſendum eſſe, cùm Patriam Gandavum Urbem Flandriæ habuerit; hæc enim Urbs Germaniæ finibus annumerari debet. Neqve (2.) obſtat, quod aliqui exiſtiment Lege expreſſâ prohibitum eſſe Electoribus alium quàm Germanum eligere; inter quos etiam *Exell. Strauchius Exercit. Exoter. IV. §. 4.* quem tamen nimis facile videri credere ijs quos laudat, putat *Bœcler. Notit. S. R. Imp. Lib. 4. cap. 1. pag. 49.*

Th. XXII. Capitulatio Imperatoria, in Gravaminibus *Paſſavii Ao. 1530.* exhibitis die Käyſerliche Obligation dicta, nihil aliud eſt quàm inter Imperatorem & Electores reliquosqve Ordines inita conventio ſuper illis quæ pertinent ad Imperii Regimen, & à quibus agendis Rex debeat abſtinere. Id quod liquet ex clariſſimis ipſarum Capitulationum verbis, in quorum omnium à Carolo usqve V. procemio disertè ſcribitur: Daß Wir Uns mit unſern lieben neuen Oheimen und Chur-Fürſten dieſen nachfolgenden Articul Geding und Pactweiſe vereiniget, vertragen, angenommen und zugeſaget. Et per hanc plenitudini quidem Imperii aliquid derogari non negandum eſt, ut tamen ipſa Summitas ſalva maneat.

Th. XXIII. Olim Apoſtoli, & hinc populus cum Clero Epiſcopos eligebant. vid. *Marc. Anton. de Dominis de Republ. Eccleſ. Lib. 3. c. 3. item Lib. 6. cap. 7. Num. 33. ſeqq. & quæ habet Ziegler. Comment. ad Inſtitut. Lancelotti Lib. 1. Tit. 6. §. 2. & Tit. 7. §. 8.* Quod Epiſcopale munus ab initio usq; Eccleſiæ fuit omnibus ritu

aliquo externo quaſi obſignatum per manus impoſitionem, quæ poſt dici cœpit Ordinatio (neqve enim eſt necesſaria Ordinatio ad Vocationis esſentiam, ſed ad capacitatem aut idoneitatem ſubjecti vocati publicè declarandam, ejusqve ſegregationem ſolennem à negotiis ſeculi ad munus Eccleſiaſticum, nec non commendationem apud DEUM & coram Eccleſia; idqve ex præcepto Divino Act. 13. 21. ut habet præfatus *Ziegler. Tit. 10. §. 1.*) & peregerunt illam non ſoli Epiſcopi, ſed & Presbyteri: qnamvis conſvetudine Eccleſiaſticâ deinceps factum, ut Epiſcopis ſolis ea poteſtas relinqueretur. In quem ſenſum disertè *Chryſoſtomus Homil. 11. in 1. Tim. 3. Solâ enim impoſitione manuum aſcenderunt Epiſcopi ſupra Presbyteros, & hoc ſolùm lucri videntur præripuisſe Presbyteris.* Idem etiam prioribus tribus ſeculis in Germania obtinuit. A Seculo autem IV. invaluit paulatim per omnem Chriſtianum Orbem, ut qui Reipubl. præerant non paterentur temerè quem ad Epiſcopalē Dignitatē promoveri, niſi accedente ſuô conſensû. Hinc ex Hiſtoriis compertum eſt, fuisſe Jus Inveſtituræ, quæ nihil aliud eſt quàm Electionis Epiſcopalis à Rege vel Imperatore ſuo ſuffragio vel conſenſu facta confirmatio, Imperatoribus Romano-Germanicis non ſolùm in Urbe Roma & Provinciis Romano Præſuli ſubditis ex conceſſione Pontificum & Populi Romani *vid. Gratianus Diſtinct. 63. c. 22.* ſed etiam in Italia reliqua & omni Germania nonquidem ex Pontificum conceſſione, ſed Jure Regio.

Th. XXIV. Hæc Inveſtitura olim facta traditô baculô in manus Epiſcopi illud tribuit, ne quenquā fas esſet, etſi à Clero & populo unanimi voto electum priùs ordinari & conſecrari, quàm ex conſenſu Imperatoris vel Regis conſtaret hunc debere esſe Epiſcopum. Cujus conſensûs index erat baculus & annulus Epiſcopo traditus: Fuitq; hic ritus ferulâ paſtorali inveſtiendi Epiſcopos ipsâ etiam Caroli Magni ætate uſitatus, quamvis etiā ſine ſuffragio Cleri & plebis non rarò Imperatores Epiſcopos conſtituerent. Quâ poteſtate etiam Henricus II. Imp. uſus eſt, ab Eugenio Papa nihilominus in Divorum relatus numerum. Quod ſane imprudenter egisſet Pontifex, ſi grande adeò nefas esſet Epiſcopos ab Imperatoribus conſtitui, neqve creditum tunc fuisſet Jure ſummo ſuffulta esſe Imperatorum Regumqve in conſtituendis Epiſcopis priſca & longo uſu roborata jura,

Th. XXV.

Th. XXV. Tempore Ottonis Magni cum Epiſcopis ſecularis quoqve poteſtas & Regalia attribui cœperint, (contra prohibitionem Apoſtoli 2. *ad Timoth.* 2. & Canonum qui Apoſtolici dicuntur. *vid. Can. 6. & 80. Quibus jungatur Bellarminus ad Nepotem ſuum Theanenſem Epiſcopum Libello, quo docet quæ neceſſaria ſint Epiſcopo qui verè ſalutem ſuam æternam in tuto ponere velit: & quod de eodem Bellarmino. ex Jano Nicio repetit Conring. ad Lampad. p. 3. c. 6. §. 6. pag. 229.*) ab eo tempore illis non ſolùm Officium Epiſcopale & Dignitas Eccleſiaſtica, ſed etiam poteſtas ſecularis & Regalia in Feudum per Inveſtituram ab Imperatoribus ſunt collata. Id quod ita obſervatum ad tempora usqve Henrici IV. & Gregorii VII. Pontificis, qui Ao. Pontificatus ſui V. publicis Decretis omnes Laicales inveſtituras proſcripſit, quæ videri poſſunt apud *Baronium Ao. 1078. & Ao. 1080.* & ab Ejus ſucceſſoribus confirmata ſunt. *Quò ipsò,* ut loquitur *Onuphrius Panvinius Veronenſis Frater Eremita Auguſtinianus in Hiſtoria Vitæ Gregorii VII, non tantùm Imperator Henricus IV. ſed omnes Reges Latini & Occidentales petiti, Epiſcopi item & Univerſus Clerus Galliæ, Germaniæ, Italiæ; Majeſtas quoq; & Dignitas Imperii Romani everſa, quodq; longè plus, ea fundamenta jacta ſunt, quibus illius poteſtas omninò labefactaretur. vid. Caſpar. Ziegler. Diſſertatio de Origine & increment. Juris Canon. Num. 31. & 32.*

Th. XXVI. Cauſam hujus mutationis Pontifex prætendebat Simoniacum Crimen ab Henrico Imp. exercitum; proindeq; non ſolùm Inveſtiturarum jure Principes omnes & Imperatorem exuere, ſed etiam Henricum indignum Imperio, Regno, imò vitâ ipsâ pronuntiare non dubitabat: Cum tamen per calumniam Henrico Imperatori imputatum eſſet, quaſi ille omnes Epiſcopales Dignitates, pretiô acceptô vendiderit. Quibus ita cœptis tandem inter Henricum V. & Paſchalem II. Papam conventum, ut Imperator quidem Inveſtituras Epiſcoporum Pontifici cederet, ſub hâc conditione, ut Epiſcopi aliiqve Prælati Ducatus, Marchias, Comitatus & Regalia dimitterent. *vid. Dn. Struvius Syntag. Jur. Feudal. cap. 3. §. 7. p. m. 96.* Huic Paſchalis conventioni oppoſuit ſe magnâ indignatione Clerus omnis, Territoria atque Regalia dimittere nolens, adeoque Pax non proceſſit, donec

Papa abductus ab Imperatoris exercitu cum plurimis Cardinalibus captivus, & trimeſtris Captivitatis moleſtiâ victus, tandem Henrico V. poteſtatem conſtituendorum Epiſcoporum conceſſit, & pactum illud datâ fide, quam ſumptô Corpore & Sanguine Domini conteſtatus fuerat, firmavit.

Th. XXVII. Neque tamen & ſic fides data à Pontifice ſatis firma fuit, ſed eandem altero ſtatim Anno in Concilio Lateranenſi reſcidit, & Imperatorem Anathemate percuſſit. Quod & Calixtus II. Pontifex ſecutus eſt, donec Imperator reſiſtere Pontifici deſtitit, ac Inveſtituram Eccleſiaſticam dimiſit, ſibi ſolam Inveſtituram de Regalibus Sceptro expediendam reſervans. Quod factum publicè in Comitiis Wormatienſibus Ao. 1122. prout cum aliis teſtatur *Otto Friſingenſis Chron. Lib. 7. c. 16.* (quamvis reſignationem hanc Inveſtiturarum ægrè tulerunt Succesſores Ejus Lotharius & Conradus III.) ut tamen Electio Epiſcopi apud Clerum & populum maneret, quæ illâ ætate Canonica Electio dicta fuit, quamvis poſtea Friderici II Conſtitutione hoc nomen ſibi vendicaverit illa, quæ per Canonicos Cathedrales nequaquam in Clericorum numerum ſed meram Laicorum clasſem referendos fiebat electio; usqve dum Honorius III. reſcidit Decreta priorum Pontificum, illaqve Corruptelas dixit *c. 56. X. de Elect. & Electi poteſt*, quibus populo eligendi concedebatur facultas: prout etiam ab Electionibus Papalibus primùm populus arceri cœperat prioribus temporibus hoc Jus ſibi asſerens. *Vid. Frosſard. Lib. 2. Hiſtor. non procul ab initio.*

Th. XXVIII. Seculi XIV. initio à Canonicis aut nulla amplius aut rara facta fuit Electio, poſtquam Proviſiones Apoſtolicæ & Translationes Epiſcoporum, Cumulationes Epiſcopatuum in unam perſonam obtinuerant. Quæ licet in Concilio Baſileenſi (cui ſimile aliquod Concilium Europœus Orbis non vidit *teſte Herm. Conring. de Republ. Im. German. Exercit. 7. Th. 82.*) fuerint abrogatæ, ipſo Papâ Eugenio IV. cum judicium Concilii non admitteret, damnatô; tamen ipsô durante Concilio à Decretis his Germani receſſerunt, ſuſceptâ Neutralitate illâque mox ſublatâ. Donec denuò inter Imperatorem Fridericum III. & Nicolaum V. Papam de conſtituendis eligendis & confirmandis Epiſcopis certa

ſunt

ſunt inita pacta quæ vocari ſolent *Concordata Nationis Germanicæ Anno 1548.* quibus tamen ſæpè contraventum eſt, ut teſtantur novæ querelæ quæ *Gravamina* appellantur *Nationis Germanicæ cum Remediis & Aviſamentis,* ut & *Centum gravamina Noribergæ Pontificis Oratori edita Dn. Strauch. Exercit. 5. §. 6.*

Th. XXIX. Hodiè omnes Epiſcopi in Germania conſtituuntur vel Electione vel Poſtulatione, vel Collatione quæ fit à ſolo Pontifice, cui Juramento præterea ſe tenentur obſtringere. Cum autem apud Proteſtantes nulla Confirmationis Papalis habeatur ratio, hinc factum ut Pontificii arbitrentur, non poſſe illos Epiſcoporum Germaniæ numero haberi. Undè multorum Epiſcopatuum Regiones à Principibus ſecularibus reguntur, Jura Epiſcopalia Principum Secularium ſunt in ſuis territoriis, quæ exercent per ſua Conſiſtoria. Quamvis hôc ipsô nil præter Nomen Epiſcopale mutatum ſit, quippe cum ab aliquot jàm ſeculis Curatio Reipubl. fuerit penes Epiſcopos, qui proinde hâc in re non Epiſcopos ſe ſed Principes geſſerunt, ut vel exindè patet, quod ſæpè ad arma confugere & vi publicâ uti non dubitarunt haud obſtantibus prohibitionibus in *Can. Apoſtol. 82. c. quicunq; 23. q. 8. c. reprehenſibile 23. q. 8. Conf. Ziegl. Tr. cui titulus Epiſcopus Miles in Veteri Eccleſia inviſus. Cap. 11.* ipſius Pontificis hâc in re ſecuti Exemplum *Vid. Guicciardinus Lib. Hiſtor. 9. quem refert Henniges in Obſervat. ad Grotium de J. b. & p. Lib. 1. cap. 2. in fine.* illud autem, quod verè Epiſcopalis eſt Officii fecerunt per ſuos Vicarios in Spiritualibus exerceri. Quod ipſum in novis illis Principalibus hodiè præſtant ferè Superintendentes, etiam ipſi velut vicariâ functi ſuorum Principum auctoritate, ut loquitur *Conring. ad Lampad. p. 3. c. 6. §. 4. pag. 213 ſeq.*

Th. XXX. Confœderationes Principum cum Exteris, nullô Seculô tàm frequentes ac hodiernô, quanquam fieri rectè poſſint, eatenus tamen habebuntur licitæ, quatenus non fuerint initæ contra Imperatorem & Imperium *vid. Tabulæ Confœderationis Rhenanæ (vulgò* die Rheiniſche *Allianz,) Francoforti factæ Ao. 1658. §. 1. apud Ahaſver. Fritſch. Electorum Jur. Pub. Rom. German. cap. 5.* & quatenus hoc fine ſuſceptæ, ut Pax & Juſtitia quæratur, ac quæſita conſervetur. R. A. zu Nürnberg *Ao. 1542. §. 16.* Aliàs enim nihil obſtabit, quò minus Imperii Princeps perduellionis reus

 damna-

damnari, hoſtisque Reipubl. denunciari poſſit. Quod & Exempla paſſim obvia teſtantur, (quorum nonnulla videri posſunt apud *Conring. de Republ. Imp. German. Exercit. 8. Th. 57. ſeq.)* & ipsò Jure Communi Feudali cautum eſt, ut Vaſallus ſi cum hoſte Domini in ipſius pernitiem contraxerit amicitiam, vel Fœdus inierit, Feudo cadat. 2. *F. 57.* Jam autem Principatus omnes Feudi Legibus ſunt obnoxii.

Th. XXXI. Quamvis multum interſit Reipubl. German. omnibus modis caveri, ne Exemptionibus Statuum vires Imperii deminuantur. *R. J. Spiræ de Ao. 1570. §.* Als Wir dann *ibi:* durch die *Exemptiones* dem H. Reich an ſeinen Gliedern/*Seſſion*, Stimm/Vermögen/und Hülffen groſſe Zerrüttung und Abgang erfolgen thut. non tamen expedit omnibus promiſcuè id deſiderantibus, Jus Status, Seſſionis ac voti in Comitiis (quod antehac nemini permisſum ſine posſeſſione alicujus territorii Imperialis, etſi hodiè uni & alteri tale jus datum ſit ſine ditione. *vid. Conring. ad Lampad. p. 3. c. 3. §. 4. & c. 5. §. 6. & 7.)* concedi. Proinde Regem Galliæ ratione terrarum Belgii Hiſpanici locum ac Seſſionem in Comitiis Germanicis inter Status Imperii petentem miſſis ad Status Imperii literis de data ad ſanctum Germanum die 17. Auguſti Ao. 1668. quarum tenorem exhibet *Fritſch. Elect. Jur. Pub. cap. 12. Num. 3.* ob rationes prægraves rectè repulſam tuliſſe in aprico eſt. Inter quas non extrema videtur, quod Galli pro Regula Status habeant, retundere Auſtriacorum potentiam. *Burgoldenſis Notit. Rer. Imperii p. 1. Diſc. 1. Num. 80. pag. 90.* & hôc prô Arcano utantur, ut vel ipſi Coronam Imperialem adipiſcantur, vel Auſtiacos ab ea dejiciant. *Idem p. 1. Diſc. 8. Num. 8. pag. 232. & 233.* Quorum tamen Familia quod jamdiu Cæſareo Diademate ſola micuerit, maximè hactenus ex re fuit Germaniæ *Conring. ad Lampad. part. 2. §. 12. pag. 93. & p. 3. c. 2. §. 4.* non obſtantibus illis quæ habet *Hyppolithus à Lapide* (ſub cujus nomine Joachimus à Dranſee occultare ſe voluit) *de Ratione Status in Imp. Rom. German. part. 3. cap. 2.* Cujus hoſtile & intolerandum Conſilium ſolà calumniarum atrocitate nixum ſatis confutat *Cl. Bœcler. in animadverſionibus ad dict. loc. pag. 221. ſeqq.* qui etiam videri poteſt *Notit. S. Rom. Imp. Lib. 22. cap. 2.*

COROL-

COROLLARIA.

I.

ILla quæ communiter tradunt Scriptores Rerum Polonicarum de Piaſto Ruſtico quodam Ao. C. 830. in Regem à Polonis electo non ſatis refutari putamus per ea quæ habet *Conring. ad Lampad. p. 3. c. 4. §. 1.*

II. Datur quandoqve etiam ex alterius Contractu alteri actio directa contra *§. 5. J. per quas perſon. Nob. acquir.*

III, Jus Retentionis in Depoſito ob impenſas in rem depoſitam factas locum habet. non obſtante *l. 11. C. depoſiti §. 30. J. de Action.*

IV. Etiam Conditionalis Debitor immittitur ex primo Decreto per *l. 6. pr. quib. ex Cauſ. in poſſeſſ. eat.* nec obſtat. *l. pen. §. fin. eod.*

V. Actio familiæ herciſcundæ & Actio Communi Dividundo quatenus ad diviſionem rerum communiter poſſeſſarum tendunt, poſt 30. annorum lapſum ad huc competunt. Nec obſtat *l. 1. §. 1. C. de Annal. Except.* quâ moti nonnulli DD. hanc quæſtionem inter Caſus pro Amico referunt.

VI. Dari Litis Conteſtationem quæ ex parte Rei affirmativa ſit per *l. 2. C. de Jurej. propt. Calumn. & l. 5. D. de Confeſſis* defenditur.

VII. Privilegium Prælationis quod habet mulier ratione datis illatæ in Concurſu Creditorum etiam anteriorem hypothecam licet expreſſam habentium, non datur marito in bonis mulieris, nec hæredi mulieris in bonis mariti; producitur tamen ad filium communem, qui petens dotem maternam habet prærogativam in bonis paternis. *l. fin. §. 1. C. qui pot. in pignor.*

VIII. Conductor in ſe recipiens Caſus fortuitos recepiſſe etiam intelligitur Caſus inſolitos & rarô contingentes. *vid. l. 78. §. ult. D. de contr. Empt.*

IX. Duplex Remedium Reſcindens & Reſciſſorium etſi nihil incommodi habeat, neceſſarium nequaquam, multò minus Jure Civili cognitum fuit.

X. Contractus Mohatræ omni Jure damnatus eſt.

XI. Etiam

XI. Etiam ex Legitimo Matrimonio de Jure Civili poteſt naſci Spurius. *vid. l. 25. D. de Captiv. & poſtlim. reverſ.*

XII. Damnatus ob Latam Culpam non ſit infamis.

XIII. Paleæ in Decreto contentæ non debent reſpui.

XIV. Rectè Jure Canonico ſtatutum eſt inter Raptorem & Raptam Matrimonium ſubſiſtere *c. ult. X. de Raptor.* ne ſcil. mulieri absqve ſuâ culpâ ſtupratæ medium adimatur purgandæ ignominiæ.

XV. Reditus Decimarum locari poſſunt, dummodò Locatio non ſapiat alienationem. *c. 2. X. Locati* in Feudum autem dari nequeunt *c. 15. 17. 19. X. de Decim.* Quamvis Summum Pontificem & Prælatos qui ſufficienti adhoc poteſtate muniti fuerint rectè etiam Decimas in Feudum concedere tradant Canoniſtæ.

XVI. De Jure Canonico Judex qui ſuſpectus eſt recuſari poteſt tàm Ordinarius quàm Delegatus. *c. 61. X. de appellat.* Cauſa autem Recuſationis in libello exprimenda eſt propter *c. 39. X. de Offic. & poteſt. Jud. deleg. c. 41. X. de appellat.* Secus. de Jure Civili *l. 16. C. de judic. & ib. DD.*

XVII. A Sententia arbitri Compromiſſarii etiam Jure Canonico appellari nequit cum Jus Canonicum nullibi naturam mutaverit arbitrorum.

XVIII. Feudum acquirere tàm Mas quàm fœmina poſſunt *1. F. 8. 2. F. 30.* Et videtur Dominus fœminam de Feudo inveſtiens tacite admittere, ut ſervitia quæ ipſa expedire nequit, præſtet per ſubſtitutum. Quod etiam in Clericis Feudum novum acquirentibus obſervandum eſt.

XIX. Feudum Solare vulgò Sonnen-Lehn nec ad propria nec ad impropria Feuda pertinet. ſed abuſivè Feudum dicitur, eſtq; cum Allodio unum idemqve.

XX. Miſſio ex primo Decreto rectè fit etiam in bona Feudalia.

S. D. G.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE